enim perspicuus atque gratus est. Nubilo coram oculis evanescit atque marcescit. In eis missus frigidus est. In sculpturis durissimus. nec tamen invictus. Nam adamante scribitur et signatur.

Hic mutat faciem suam cum facie celi. Si celum clarum est lucet. Si obscurum est, obscuratus fit.

Per hunc lapidem demonstrantur hi qui ita sese modificant. ut cum sapientes sint et perfecti et fortes. condescendunt ad insipientes. et imperfectos. et infirmos. et coequant se similes illis. ut secundum modum auditorum et sapientibus sapienter loquantur. et minus sapientibus et infirmis humiliter. Sicut paulus qui mutabat se secundum qualitatem eorum quibus loquebatur dicens. Sapientiam loquimur inter perfectos. Minus sapientibus vero dicebat. Non potui vobis loqui quasi spiritualibus sed quasi carnalibus. lac vobis potum dedi. non escam. Ita se condonabat omnibus ut omnibus omnia esset sicut dicit. Omnia omnibus factus sum. ut omnes deo lucrifacerem.

Duodecimus est ametistus. rubore sanguineus qui propterea sic dicitur. Emat quippe sanguis. Gignitur in ethiopia quidem sed principaliter in arabia et in africa invenitur. De quo promittunt magi quiddam ad coarguendas barbarorum insidias. Est autem rubeus est tamquam rosa. flammulas quasdam de se fundens. Hic lapis significat eos qui inter tormenta passionis que pro deo sustinent tamquam flammam caritatis habent. ita ut orant pro eis qui se occidunt et plus dolent de peccato quod illi faciunt. quam de pena quam ipsi sufferunt. Et bene hic lapis ponitur extremus in edificio civitatis dei. nam hec est virtus maxima super quam nulla est. orare scilicet pro inimicis. et paucos invenimus qui hoc faciant. Sed tamen in veteri lege tales. ii. invenimus. moysen et samuel. in nova quoque. ii. christum et sanctum stephanum. Ex his. xii lapidibus. id est. xii. virtutibus electorum constructa est civitas dei. id est celestis iherusalem in qua deus habitat et regnat. Nec iam ullus alius lapis erit positus. id est nullus alius homo introibit. vel domus civitatisque dei esse poterit. nisi illi qui habuerint has virtutes quas isti lapides signant.

Sicut sanctus iohannes qui super pectus domini in cena recubuit vidit. cum esset in exilio in insula que appellatur pathmos. ubi domitianus qui post neronem regnaverat miserat eum. quia fidem dei predicabat. Et ibi in dominica die elevavit eum angelus dei in spiritu et ostendit ei multa de secretis dei. Inter que vidit civitatem dei. muro magno et alto circumdatam. Et quatuor erat longitudo illius muri equalis altitudini et latitudini. Centum quadraginta quatuor stadia in una quaque fronte habebat. Tresque portas in una quaque parte habebat quas omnes unus lapis cooperiebat. Et super unamquamque portam. nomen unius angeli et unius prophete scriptum erat. et quadrata erat. Et fundamenta et muri eius erant facti de. xii. lapidibus pretiosis. quorum nomina supra scripta sunt.

Nunc autem querendum est cur ita facta sit. Et primum quod latitudo et longitudo et altitudo eius significet. et quod tota equalis est quod sibi velit. Deinde quod cetere positiones. Hec tria spatia significant tres principales virtutes. id est spem. fidem. et caritatem. sine quibus sancta ecclesia stare non potest nec firma nec solida. Longitudo que est linea sine latitudine. significat fidem. quam potest homo habere per se sine altero. quoniam potest credere deum trinum in personis et unum in deitate. sine alterius profectu. quoniam non prodest nisi sibi soli. Latitudo significat caritatem. quam nullus habet sine altero. Nam omnis homo tam alios quam se ipsum diligere debet. sicut dominus precepit. Diliges proximum